

(BWS)

# PROLVSIO ACADEMICA

PRO STUDIIS HAC IN D. MARCI UNIVERSITATE

APRILIS DIE XVI IN AVGVRANDIS

A LATINI HVJVSCE MVSÆI ALVMNO

**Josepho Nicolao Fernandez de Pierola**

AETATIS SVAE ANNO VIII.

PRESIDE

*Josepho Perez de Vargas,*

Annis ab hinc novem et quadraginta conspicua Urbe in hac  
Lima Peruvii Metropoli amplissima, Publicæ Latinæ Linguae,  
Humanioris literaturæ, Rethorices Moderatore; scholarum  
Censore; Coetui publicae Instructionis Socio adjuncto;  
Ipsiusmet præfati Musæi à legitima Gubernatione  
Electo Fundatore, Institutore et Magistro; Latini  
idiomatis Examinatore; Liberatoris Bolivaris  
numimaste insignito; etc. etc. etc.



LIMÆ:

APVD JOSEPHVM HIDOBRO MOLINA.

1849.



---

# PROLUSIO ACADEMICA.

---

Hodiernae Prolusionis morem conspicua ab ista Academia antiquitus institutum; a majoribus nostris religiose observatum; a me stricta vel soluta oratione per annos plures indesinenter excultum, denuo persequi aggredior, *Amplissime Rector, Nobilissimi Proceres, ceterique omniū ordinum et aetatum doctrina, scientiis, eruditione praestantes Auditores cultissimi.*

In tanto vero Artium, scientiarumque omnium complexu, quas dies et locus commendadas expostulat exilitate mentis haud suffecturum præsentio. Undequaque enim conspicio, tum publicis, privatis tum in Licæis Mathesi, Algebrae, Calculo, Historiae, Medicinae, Philosophiae, Jurisprudentiae, Romano, Civili, Patrio, Canonicō, Naturali, Nationali, Internationali Juri, ceterisque omnibus et doctrinis et scientiis operam sedulam, vel in docendis, vel ediscendis, impendi. Quid enim inde? i Athenis audeam ego noctuas inferre? De iis quae a primariis doctrina, scientiis, eruditione viris clarantur, no-

bilitantur et patent facturum me verba praesumpserim?  
Ad has vero Artes, scientiasque omnes amplectendas te-  
nuitate animi deficiens merito arguar, criminabor, im-  
minuar.

Unum vero tantummodo, minoris nec mi fors pon-  
deris relictum spicilegium videtur, quod vel à me ple-  
nius, totis imo viribus exquirendum, investigandum,  
explanandum remanserit. De Latio me idiomate loqui  
arbitror vos intelligere, Auditores cultissimi, quod enim  
a nostratum plerisque ignotum, socordia neglectum, in-  
scienter, turpiter prostitutum inutile tanquam vocifera-  
tur, effertur, ac vilet. Apage, apagesis hujusmodi ho-  
minum, vapparum talium a sapientioribus male accep-  
ta, bene quidem vituperata sententia! Foetet! Hui  
foetet reprobatissima opinio latinas litterassupercilio in-  
spicientum! Hi, tamquam nothi, parentum quibus ma-  
le nota progenies, sumiso capite incedendo, agnationis  
suae ullam cum praebere nequeant notionem, obmu-  
tescunt. Quomodo audeant hi, quaeso, leporem, vim,  
sales, divinum et quasi oestrum Latiae matris linguae ad  
vernaculam nostram apte, scienter transferre, promove-  
re, extendere, imitari, si genuinum, metaphoricum, hy-  
perbolicum, translatitium sensum, aureis quaeque Romae  
temporibus apprime exculta, ignota sibi, inania, su-  
pervacua haud sese pudeat jactitare? Frequentes itaque  
in dies sciolos plures notamus scribendi quadam pruri-  
gine captos caesim, punctimque patriam linguam sau-  
ciare, gallicis vitiis inducere, adulterari, inquinare,  
polluere non desinant.

Magna, quovis ut in sermone, semper fuit laus caste,  
recte, emendateque loquendi, est ita quaedam orationis  
cultia et pura collaudanda innocentia, quam suis omni-  
bus numeris absolutam, ad omne, ad id usque ac tem-  
poris illibabilem, certam servari semper fuit opus.

Ecquis enim pluris quam Tullius omnium ille tempo-  
rum et aetatum sermonis Latii, Latiae eloquentiae Mo-  
derator facile ac Princeps loquendi istam, beneque di-  
cendi artem, antehabuit, fecit, aestimavit? Insignis  
ita Vir ille, non tam ex se ipsa laudandam, quam quod  
a plerisque neglectam, extollendam, superinduendam  
exornandam putavit? “Nec tam, inquit, praeclarum

est latine scire , quam turpe nescire, neque id tantum Oratoris boni, quam Civis Romani esse proprium videtur.” Civis Romani , Oratoris boni munus istud proprium tantummodo? Nobis vero negatum? Nobis cur interdictum? Interdici res enim potest, quae assequenda omnibus patet, clarescit, extenditur? Ars haec praeципue nostra in regione Peruvii scientiarum omnium, ingeniorumque fere omnium emporio ditissimo susque deque habebitur, abjicitur, vilesct? Minimi fiet? Negligetur? Neglicant ii , qui obtusae mentis, densaque involuti caligine puram lucem non vident, videre non ambient, illa perfrui non valent; catellis insuper similes, qui coecitate contenti coecutiendo ganniant, ganniendo effervescunt, effervescendo procumbunt, procumbendo silescunt.

Vos ergo, Auditores, vos juvet Plinii illius diligentissimi Naturae scrutatoris effatūm referre vobis hic ausim; “Non quia illi temporibus antecesserunt sapientia quo “que antecesserunt” de prioribus enim sui temporis loquebatur. Nil ideo nos de nostris dixerimus? Nil addiderimus? De his sinistre loquemur? Moris utque est vulgo aetatis nostrae progressum saepissime jactitare, res ista pulcherrima despiciatur inertes patiemur? Retro in hac pergere? In pejus progredi? Puri sermonis normam rejici a nobis non pudeat? Latinae linguae sermonis nostri matri, altrici et magistræ operam sedulam adhibere piguerit?

Inter nos fuit, fuit Latinae linguae peritorum seges amplissima; fuit quondam virtus non summis labris classicorum scripta libare, ast ore se toto eorum dicta et sententias ad exauriendas, ad degustandas immergei. Saeculum plane extitit, quod aureum Limae debuit merito nominari.

Nunc vero, temporis fato quodam adverso, biviis, triviis, angportubus implicati detinemur, avertimur, circumvolvimus, patrium sermonem, numerosque obliviscimus, exteris sequi conando corruimus. Nostrum ita neque exterum idioma probe, recte percipimus. Ad rem itaque versiculos quosdam a me nuper sermone hispano concretos exponere vobis mi liceat. Hi etenim sunt.

“Apparent rari nantes in gurgite vasto.”—*Virg.*

Mui raros ya se aplican al Latin;  
Deliran muchos por saber Ingles;  
Presumen tantos de hablar bien Frances  
Mascando un mal Gascon, ó Mayorquin.

Mui pronto el Castellano tendrá fin,  
Y se urdirá una jerga de Escoces,  
De Congo, de Araucano, de Iroques,  
Del lenguaje de Siam, ó de Pekin;  
Y, si Dios uo lo llega a remediar,  
Temo que hasta el ronquido de Luzbel  
Han de adoptar mui muchos para hablar,  
O hechen mano de un pito, ó cascabel  
Cuando algo tengan que significar;  
Y se forme otra Torre de Babel,

Vos ergo haud praeterit, Auditores, quantum ad utriusque linguae, Latinae scilicet, Hispanaeque integritatem classicos aetatis aureae scriptores jugiter consulentibus laudis et famae emolumentum accesserit. In primis autem, quoad sermonis puritatem, majestatemque attinet eloquentiae, M. Tullius prae manibus saepenumero habendus; illum legere; illum perlegere, illum consulere, et perquam proprius fieri possit in Oratoria, in Epistolis illum assequi atque imitari; in Historia proin Tacitum, Crispum, Livium; Epica in Poesi Mantuanum; in Lirica Venusinum; in Elegia Sulmonensem; in Epigrammate Bilbiletanum. Hi, tamquam Latinae venustatis norma, et exemplaria, eorum vestigiis accurate inherendo enixe vobis omnino insudandum. Sed ut ad Tullium revertar, sic maximus ille Institutior Quintilianus, “illum se profecisse sciat cui Cicero valde placebit.” Cum tamen, ille Romanae dictionis Parens, atque eloquentiae Princeps merito nominatus plane sibi habuerit persuasum, non tam verborum in sensu, rerumque apte excogitata materie, quam sermonis in ordine, vi, et sententiis tempestive prolatis Latiae linguae spiritum contineri; per Hyperbatom insigniri, per Metaphoras exprimi; per tropos irradiari; per sonum, per numeros apprime decorari. Ecquis enim, ni mentis prorsus fuat inops Latii arduum qui culmen sese ascendisse prae-  
sumperit, quin vera in loquendi ratione sibi propria,

sibique peculiari efficienda provectum sese, sese evi-  
denter fuisse probatum constarit.

Meminisse ideo Vos appreco, Auditores, Ausonios in-  
ter, cultosque Iberos, Latiae utpote linguae ac sermo-  
nis haeredes, summos Viros tot extitisse, suis qui in de-  
liciis Latinas praecipue litteras habuere. Ad nostrae au-  
tem Peruviana gentis et jubar et nomen quamplures in-  
ter, qui philologis, et philotechnis rebus, scientiisque  
omnibus enituerint, verbo absit invidia, enumerandus  
necessitudine mi devinctissimus, quemque adhuc hono-  
ris causa nomino. Arequipensi in regione ortus Hyp-  
politus de Unanue, suis qui mihi in epistolis e Cañete ex-  
ratis apta documenta Peruviana juventuti erudiendae  
promovenda, amplianda, extendenda animarit. Adeo  
erat ille Romanae Patriaeque linguae diligentissimus,  
religiissimus cultor, atque admirator!

Quod si laus tanta idiomate in isto progressis maxime  
tribuenda, in re cur tam perspicua nos deficiemus? Cur  
tot vix Latii in limine labanti pede reptantes arduum se-  
se viciisse jugum crediderint, aegerrime lamentamur?  
Sese proiectos in queis neque norunt, nosse neque um-  
quam valuerint jactitando, ignarum vulgus ad errata,  
suamque ad insufficientiam gravissimo juventutis dam-  
no ad se periturae temere, stulte impudentes haud de-  
sinant? Ne ita per Deum Immortalem temporibus nos-  
tris ne fiat. Viri elegantur utriusque linguae periti, qui a  
sapientioribus, minime ab insciis probati Literariam va-  
leant Rempublicam adaugere; lucibus suis illustrare,  
locupletare, insignire; haud exterorum hybrido, incon-  
nexo sermone inquinatum nostrum idioma offuscare;  
quosque vulgi stupore elato ore incidentes nobilem sese  
in Latio palmam rapuisse crediderint, approbare. Heu  
quantum a meta! A scopo quantum hi distant, diver-  
tuntur, aberrant! Heu quantum falluntur! Dixerim  
potius, heu quot ad inscientiam, suos ad errores trans-  
ferre audacter, indesinenter insistunt! Erecto enim vul-  
tu sua, vulgique imperitia exultantes e Phoebi tripode  
fuisse locutos existimant. Favete, favete quaeso, Auditores,  
si qui furfuris hujus extiterint, Ludimagistri, ip-  
sorum alumni stupidae Institutorum menti inhaeren-  
do proiectiores umquam evaserint? Illis haud credite,

lance illos perpendite; haud sinite magistri in verba jura-  
re inexperti juvenes assuescant; quaeque Sapientissimi  
Viri, quibus urbs haec satius abundat, aegre ferunt,  
lamentantur, complorant, ulterius haud extendatur patia-  
mini. Ne sinisteritas ista, quoad Latium refertur, pos-  
teritati mandetur.

Nil novi, nil a veteribus parte in hac aberrandum ab  
illis minimae desciscendum; id plane fuit semper de Latina  
lingua censendum. Non haec enim facultas inveterascere  
unquam poterit, unquam poterit obsolescere. Quomodo et res  
ista obsoleverit, quae tempore omni per se floret, viget, ju-  
venescit, extenditur? Perpetuo robore ad Ecclesiae, ad Le-  
gum, ad Medicinae sensum, ad cultarum gentium omnium  
consortium exponendum, interpretandum, evincendum  
ipsa sit opus! Quomodo et saeculum vocandum istud  
Progressus, si tam necessaria, laudanda, saepissime ex-  
colenda facultas temere prorsus abjicietur, delebitur,  
evertetur? Ceterae linguae unoquoque in saeculo va-  
riant, novam formam recipiunt, novis signis orthogra-  
phicis discernuntur. Percurrите, percurrite, quaeso, Au-  
ditores, vetus nostrum idioma Hispanum, Gallicum, Ita-  
lum, Lusitanum; Vos illud a praesenti nullimodo conso-  
num invenietis.

Resipiscite, sana resipiscite mente quicumque studio  
in Latino insudare aversamini; ne insciorum prava per-  
vicacia triumphet conemini; desultoriam adversus La-  
tium viribus totis levitatem repremit; pristinum puri  
idiomatis morem advocate; numerorum integritatem; dictio-  
nis munditiem, eloquii majestatem esse à vobis ap-  
prime restitutam adveniens posteritas gratuletur.

Scire cupis patrium sermonem? Disce latinum;  
Limpida sermonis sic tibi vena fluet.

## DIXI.

